

Disputatio

de nonnullis Claudiani carminum locis.

Disputationem, cui lectio Claudiani operum materiam dedit, in publico propositurus non ignoro, multos fore, qui Claudianum non satis dignum poetam esse censeant, cujus carmina diligenter tractentur. Sed ut concedam, Claudianum non eum esse, quem imiteris, ille profecto in multis locis, praecipue in descriptionibus, admirabilis exstitit, praesertim quum, Alexandriae natus, summa cum arte latinus versus confecerit. Quae quum ita sint, mihi mirum videtur, quod nemo praeter Koenigium ex initio hujus saeculi fuit, qui hujus poetae operibus tractandis studium impenderet. Nuper Orellius in Probrini et Olybrii consulatum Panegyrim et in Rufinum libros duos recensuit, in cujus libelli praefatione scripsit, se hoc opusculo demonstrare voluisse, nova jam opus esse recensione hujus poetae minime contemnendi. Quare nonnihil profecisse mihi videbor, si aliquot illius poetae locis, quos interpretes aliis tractandos reliquerunt, lucem afferre poterō.

In Prob. et Olybr. Cons. Vss. 42—54.

Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes: sed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut densos currentia munera nimbos
Cernere semper erat, populis undare Penates,
Assiduos intrare inopes, remeare beatos.
Praeceptis illa manus fluvios superabat Iberos
Aurea dona vomens. Sic quis tellure revulsa
Sollicitis fodiens rimatur collibus aurum;
Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis
Effluxere decus; quanto pretiosa metallo
Hermi ripa micat; quantas per Lydia culta
Despumat rutilas dives Pactolus arenas.

Quemque hos versus attente legentem singulaque diligenter perpenderit plura offendent. Jure mihi Koenigius videtur censere v. 45 subdiditium esse, quia verisimile

sit, eo quendam verba *largior imbre* explicare voluisse. Koenigius etiam v. 49—54 aliunde insertos esse existimat. Sane haud parva difficultate premeris, si, quid singula quaeque sibi velint, prodere voles. *Sic, comparandi particula, ut ait Gesnerus, confert eos, qui in Probi domo ditati sunt, cum aliis auri per metalla, aut in Tago etc. quaesitoribus.* Nonne vero inepta est hos et illos comparandi ratio? Neque ego ullam quidem comparisonem deprehendere possum in talibus verbis: ut illi ditantur, sic aliquis rimatur tantum aurum, quantum stagna etc. De mea sententia illos cum tali homine comparare ineptum est. Accedit, quod ordo verborum flagitat, ut comparatione intercedente auri indagator cum manu Probi vel ipso Probo a lectore conferatur. Heinsius coniecit *quidquid tellure revulsa soll. f. r. c. Astur.* Fatendum est, hac medela facta sanam sententiam toti verborum structurae afferri. Esset enim haec sententia: manus superabat fluvios i. e. plus praebebat, quam fluvii, quam Astur, quam Tagus, Hermus, Pactolus. Sed in hac fluviorum enumeratione statim nos offendit vox Astur. Versibus autem 49 et 50 eiectionis habes integram sententiam: manus plus projecit, quam fluvii Iberi, quam Tagus, quam Hermus et Pactolus. Versus illos fortasse otiosus compegit lector; nam vocabulum praeceptum non prorsus inepte vocibus *dona vomens* explicari potest.

Vss. 124 et 125.

Ut stetit ante ducem discussas Roma per auras:
Conscia ter sonuit rupes, et inhorruit atrum
Majestate nemus.

Mihi lectio *concita* pro conscia recipienda videtur. Primum enim offendit praepositio per in verbis: stetit per discussas auras. Deinde conscia rupes admodum obscure dicitur, quae sentiat adventum Romae Deae. Illa lectione recepta conjungas: *concita* i. e. vecta per discussas auras, ut particula ter incipiat apodosin enuntiationis.

In Rufinum I, 222—225.

Crebris perjuria neccit (Rufinus)
Blanditiis, sociat perituro foedere dextras.
Si semel e tantis poscenti quisque negasset,
Efferat praetumido quatibat corda furore.

Plerisque interpretibus et editoribus a Barthio usque ad Orellium v. 224 suspectus et corruptus videtur. Gesnerus tamen hanc sententiam elicere conatur: *si vel semel quisque poscenti Rufino de tam magnis et multis rebus, quas quotidie petebat, quidquam negasset.* Mutationem a Koenigio propositam: *qui semel e tantis poscenti quaeque negasset* Orellius, quocum facio, repudiat. Mihi interpretis esse videntur verba *e tantis*, quibus fortasse vocabulum *quisque* hic insolito significato adhibitum illustrari voluit. Minus offendit, quod Claudianus vocem *tantus* ea sententia accepisse putetur, qua scriptores melioris notae vocabulis *tam nullus* utuntur, quam quod incertum est, quo haec verba referenda sint. Duplicem enim interpretandi rationem inire licebit. Gesnerum jam vidimus explicuisse *de tam multis rebus*. Sed quid obstat, quominus quis dicat *e tantis esse ex tam multis hominibus?* Tum quaerendum est, quae sint istae res, vel qui isti homines. Et sicut Gesnerus hac de causa adjicere coactus est verba: *quas quotidie petebat*; ita ei, qui *e tam multis hominibus* interpretatur, addendum erit: *quos quotidie decepit*. Quae verba quum multum offensionis habeant, in manuscriptis velim inveniri participium elusus. Nam haec sententia plana esse mihi videtur: si quis semel

elusus poscenti negasset sc. quodcumque ex foedere facto sibi poscere licere simulabat Rufinus. Itaque hic minime putavit, se perjurio commisso foedus rupisse, sed insimulavit illum, qui poscenti aliquid negasset, foederis officia neglexisse. Hac simulatione et astutia utebatur sine dubio in eos, quos vi et licentia manifesta tentare non audebat.

De III. Cons. Honor. Vss. 1—6.

Tertia Romulei sumant exordia fasces,
Terque suas ducat bellatrix pompa curules.
Festior annus eat, cinctusque imitata Gabinos
Dives Hydaspis angescat purpura gemmis.
Succedant armis trabeae: tentoria lictor
Ambiat, et Latiae redeant ad signa secures.

Claudianus in praefatione praedicat se hac panegyri Honorio gratulatum ab urbe Roma Mediolanum missum esse. Gesnerus hoc panegyris initio poetam pingere pompam in ipsis castris urbanam existimat. Fateor me hoc eruere non posse. Nam bellatrix pompa est militum pompa vel comitatus in urbe. Apparet autem ex hoc loco, consulum insignia etiam illis temporibus fasces, sellam curulem, cinctum Gabinum, trabeam fuisse, neque in castris, nisi Imperatores consulatum gererent, lictorum usum fuisse. Cinctus Gabinos de solo togae gestandae accipio more, quem ex hoc et aliis Claudiani locis video illis quidem temporibus in processu consulibus fuisse usitatum. Gesnerum, qui putat, poetam antiquis verbis rem sui temporis, lorum imperatorum, signasse, jam Koenigius refutavit. Tamen Koenigius ipse existimat cinctum h. l. non proprie intelligi debere, quod fortasse jam *imitata* indicet, sed vestimenti genus videri fuisse, quo toga quasi cingeretur. Quam opinionem his locis stabilire studet: Prud. *περί στεφάνων*, X, 1015 *Cinctu Gabino sericam fultus togam*. Sed nonne togam fulcit mos Gabinus gestandi? Claud. XVIII, 300 sqq. quum tenderet artus Exsanguis onerare toga, cinctuque gravatus Indutoque senex obscenior iret in auro. Nomen ille mos togam gestandi senem exsanguem gravaret necesse fuit? Eutropius igitur illum morem neglexit. Claud. XXII, 331. Hos etiam mirare libens ac suscipe cinctus. Sed h. l. poeta togam praetextam cinctus nominat. Claud. XXVIII, 561. Membraque gemmato trabeae viridantia cinctu. H. l. cinctus fortasse est clavus.

In verbis *Cinctusque imitata Gabinos Dives Hydaspis angescat purpura gemmis* quaerendum est, quo incremento purpura augescere dicatur. Gesnerus videtur putasse, gemmis purpuram augescere dici. In indice enim verborum s. v. augescere legimus: *purpura gemmis*. Equidem poetam existimo dicere, imitando cinctus Gabinos purpuram augescere. Purpura enim non praetexta esse mihi videtur, quam opinionem Koenigius amplectitur, sed vestis imperatoria. Haec cinctus Gabinos imitatur, i. e. Imperator dignitatem consularem accipit eaque accepta majestate augescit. Haec sententia a poeta sequentibus verbis variatur. Succedant armis trabeae, i. e. cum armis conjungantur trabeae (Numerus pluralis etiam III, 249 *post trabeas exsul* i. e. post gestum consulatum). Neque enim sub his verbis haec sententia subjici licet: pro bellis gerendis pax agatur. Nam tota Panegyris ad animum Imperatori addendum composita est; imprimis ejus finem cf. Tentoria lictor ambiat, i. e. nunc lictores in bellis Imperatori gerendis castra sequentur. Et Latiae redeant ad signa secures. Redeant, quia olim reges et consules imperium militare et domesticum vel civile habebant; nunc utrumque rursus coalescat.

Vss. 105—110.

Jam libertate reducta,
 Quamvis emeritum peteret natura reverti
 Numen, et auratas astrorum panderet arces,
 Nutaretque oneri venturo conscius Atlas:
 Distulit Augustus cupido se credere coelo,
 Dum tibi pacatum praesenti traderet orbem.

Koenigius interpretatur: *Atlas nutat, si huc illucque pondere inclinatur, et quidem eo, quod accessurum animo jam praesentit, jam animo futurum onus sentiens.* Gesnerus interpretandi causa Luc. I, 56 citans eandem sententiam amplexus esse videtur. Sed existimo nutare hic idem esse quod adnuere. Si enim nutare h. l. esset titubare, dativus oneri conjungendus esset cum adjectivo conscius, id quod usui Claudiani repugnat, qui hoc adjectivum cum genitivo conjungere solet. Tum Augustus minus apte ad coelum vocari videtur Atlante titubante, quam nictante. Augusto, oneri venturo, adnuat Atlas conscius sc. naturae.

De IV. Cons. Honorii v. 171.

nullis praesentior aether
 Affuit ominibus.

Verba Koenigii interpretantis haec sunt: *Burmannus mavult nulli. Sed prius potest retineri, modo non jungatur cum ominibus; nullis sc. qui ad summum imperium proveci sunt.* Gesnerus nihil adnotavit; quare nullis cum ominibus videtur conjunxisse. Neque intelligo, cur non liceat haec verba conjungi. *Aether adest nullis ominibus praesentior est: non aliorum ominibus se tam facilem praebuit, quam tuis.* Sine aetheris consensu talia omnia fieri non possunt. Honorii ominibus aether praesens affuit sine ulla mora.

Vss. 184—188.

Visa etiam medio populis mirantibus audax
 Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuso
 Languida, sed quantus numeratur nocte Bootes;
 Emicuitque plagis alieni temporis hospes
 Ignis, et agnosci potuit, quum Luna lateret.

Koenigius versus 187 et 188 intrusos putat, quia Lunae mentio fieri non debuerit. Existimat enim verba *quum Luna lateret* idem valere, quod *quia luna latebat*. Mihi significare videntur *dum Luna, majus sidus, latet vel quamvis Luna lateret.*

De Mallii Theod. Cons. Vss. 58—60.

Tam celer assiduos explevit cursus honores.
 Una potestatum spatii interfuit aetas,
 Totque gradus fati juvenilibus intulit annis.

Gesnerus ait: *Una aetas (XXX circiter annorum) tot gradus fati annis juvenilibus viri conciliavit.* Sed haec sententia languet: triginta anni conciliarunt tot gradus f. j. a. Koenigius Burmannum sequitur, qui fatum legit pro fati. Sed quum censeat, aetatem, h. l. esse juvenilem, non spatium triginta annorum (*γενεάν*), nemo erit, qui non concedat, poetam duobus illis versibus bis idem expressisse. Neque intelligere pos-

sum, qua ratione librarii adduci potuerint, ut fatum in fati mutarent. Malim versum 59 ejici et conjungi: celer cursus intulit etc.

Vss. 320 — 324.

Vel qui more avium sese jaculantur in auras,
Corporaque aedificant celeri crescentia nexa;
Quorum compositam puer amentatus in arcem
Emicet, et, vinctus plantae vel cruribus haerens,
Pendula librato figat vestigia saltu.

Versu 320 haud dubie petauristae describuntur, qui corpora aedificare dicuntur. Quaeritur, quaenam sint haec corpora. Gesnerus dicit, fuisse pegmata; Koenigius sequens Scaligerum ad Manil. v. 439 homines putat alios super alios salientes pedibusque humeris aliorum insistentes pyramidis figuram retulisse, in cujus apicem puer evaserit. Suis igitur corporibus corpora illi homines aedificaverunt? Sane poeta hoc mire expressisset. Koenigius Gesneri rationem spernit, quod pegmatis mentio fiat v. 325: Mobile ponderibus descendat pegma reductis etc. Sed hi versus superioribus plane conveniunt; nam pegma in aedificii figuram modo elevatum nunc demittitur et scena mutatur. Corpora igitur sunt pegma, quod petauristae, tigna et tabulata celeriter nectentes et erigentes, aedificant. In hujus aedificii apicem puer amentatur, ibique seu plautae vinctus est seu ligatus cruribus, ne decidat, saltat. Qua explicandi ratione probata non opus erit cum Koenigio facere, qui versum 323 rejiciendum censet, vel cum aliis interpretibus, qui vinctus vel in vinctu vel in vinctis mutare volunt.

Vss. 325 et 326.

Mobile ponderibus descendat pegma reductis,
Inque chori speciem spargentes ardua flammam
Scena rotet.

Pegma demissum est et scena rotat flammam. Spargentes flammam esse eas, quae se spargant, jam Gesnerus animadvertit. Praefert tamen conjecturam Heinsii *parcentes* et interpretatur: *innoxias, non inhaerentes*. Hoc modo *ardua* cum scena jungendum est, quod etiam Koenigius probat. Sed jam Burmannus non intelligens, quid sibi velit h. l. *ardua* scena, conjecit *arida*. Koenigio *ardua* scena ad ipsum pegma pertinere videtur. Hoc mihi non placet. Potius vocabulum *ardua* cum spargentes jungendum videtur, ut sint flammae scintillas in altum emittentes.

De bello Getico vss. 1 et 2.

Intacti cum claustra freti coeuntibus aequor
Armatum scopulis audax irrumperet Argo, et q. s.

Vix expedies, quomodo haec verba inter se cohaereant, nisi forte arbitraris, accusativum aequor ad voces *claustra freti* explicandas appositum esse. Locatio autem verborum quum postulare videatur, ut verba *coeuntibus aequor armatum scopulis* inter se cohaerere et accusativum claustra de verbo irrumperet pendere putemus, pro coeuntibus proponere velim conjecturam cohibentibus. Conjungas igitur: quum Argo irrumperet claustra intacti freti. Quod fretum cur intactum dicatur, verba indicant *cohibentibus aequor armatum scopulis*.

Vss. 107—114.

Semper ab his famae petiere (Patres) insignia bellis,
 Quae diversa procul tuto trans aequora vires
 Exercere dabant. Currus regumque catervae
 Inter abundantis fati ludibria ductae.
 At vero Italiam quoties circumstetit atrox
 Tempestas ipsumque caput laesura pependit;
 Non illis vani ratio ventosa favoris,
 Sed graviter spectata salus, ductorque placebat, etc.

Poëta Stilichonem, quod inclusis Getis fugae occasionem praebuerit exemplo a veteribus petito excusat, qui semper cautius rem contra hostes Italiam ingressos gesserint, externisque tantum bellis duces triumphum curribus regumque catervis exornare siverint. Diversa bella sunt, quae diversis locis, sed procul sc. ab Italia orta sunt. Famae insignia in sequentibus enumerantur: currus regumque catervae. Hae inter abundantis fati ludibria duci solitae sunt. Gesnerus dici ludibria existimat ratione eorum habita, de quibus triumphetur. Non placet. Inter abundantis fati ludibria mihi nihil aliud videtur esse, quam fortuna ludibria edente, vel dum res bene geruntur sc. in externis bellis, quibus favorem vanum sibi comparare ducibus per populum Romanum licebat, qui in tumultibus Italiae a ducibus salutem tantum graviter respici volebat.

Vss. 213—217.

Nonne videbantur, quamvis adamante rigentes,
 Turribus invalidis fragiles procumbere muri,
 Ferrataeque Getis ultro se pandere portae?
 Nec vallum densaeque sudes arcere volantes
 Cornipedum saltus. Jamjam conscendere puppes
 parant (Itali).

Pericula describuntur, quae Italis imminabant per Alaricum. Gesnerus his verbis explicat: *Turres sunt partes robustiores et velut articuli moenium: his invalidis reliquum murum, tanquam fragilem, procumbere mirum non est.* Poëtam apparet descripturum fuisse, quae stuporem Italis injecerint. Et sane mirum est, si muri, quamvis adamante rigentes, tanquam fragiles turribus velut invalidis procumbunt. Signum interrogationis post vocem portae deleri et verba sequentia *nec vallum — saltus* ad interrogationem referri velim, ut horum verborum sententia sit: mirari licet, quod vallum sudesque volantes equorum saltus non arcebant.

Vss. 437—438.

Creditur Herculeis lucem renovasse lacertis
 Femina dilecti fatis impensa mariti.

Nubito, num locutio *renovavit lucem* idem valere possit, quod recuperavit lucem. Quare lectionem *reparasse* recipi vel *repetisse* scribi velim. Locutionem *aliquid repetere* idem significare quod *aliquid redire*, si exemplis confirmari opus sit, cf. Hor. Carm. III, 27, 9. Ep. I, 7, 33. Ovid. Her. III, 143.

De VI. Cons. Honor. Vss. 265—269.

Ergo ubi praeclusae voci laxata remisit
 Frena dolor, notas oculis humentibus Alpes

Adspicit et nimium diversi stamine fati
 Praesentes reditus, fortunatosque revolvit
 Ingressus.

Frustra quaero, quae sit cohaerentia verborum *et nimium — ingressus*. Sive genitivum fati dicis pendere de ablativo stamine, sive de accusativis *reditus ingressus*, vix grammatices vel logices legibus satisfacies. Legi igitur malim *stamina*, ut verba *praesentes reditus fortunatosque ingressus* explicent, qualia fati stamina revolverit Alaricius.
 Vss. 386–395.

Tua te benefacta morantem
 Conveniunt, meritisque tuis obnoxia virtus
 Quos servavit amat. Jam flavescencia centum
 Messibus aestivae detondent Gargara falces,
 Spectandosque iterum nulli celebrantia ludos
 Circumflexa rapit centenus saecula consul.
 His annis, qui lustra mihi bis dena recensent,
 Nostra ter Augustos intra pomœria vidi,
 Temporibus variis: eadem sed caussa tropaeis
 Civilis dissensus erat.

Haec sunt verba Romae deae, quibus Honcrium, ut Romam urbem redeat, impellere conatur. Verba *meritis tuis — amat* Gesnerus ita interpretatur: *debet hoc virtus tua meritis tuis, ut ames et colas, ut honore praesentiae tuae afficias urbem, cui salutem dedisti*. In his mihi quaedam minus recte exposita videatur. Nam quae virtus meritis obnoxia quos servavit amat, ea non debet meritis, ut amet quos servavit; sed potius virtus, quae meritis obstricta est et quia meritis obstricta est, amat quos servavit. Quare haec mihi poëta dicere videtur: merita tua te cogunt vel movent, ut quos servasti, ames. Gargara centum messibus flavescencia sunt Gargara centesinea messe flavescencia. Ad versum 390 explicandum Gesnerum miror non attulisse, quae Suetonius Claud. c. 21 narrat his verbis: *Fecit et saeculares, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos. Quare vox praeconis irrita est, invitantis more solemnii ad ludos, quos nec spectasset quisquam nec spectaturus esset: cum superessent adhuc, qui spectaverant*.

Solemni igitur more ludi saeculares dici possunt nulli iterum spectati; et quicumque de ludis nulli iterum spectatis audiebat, statim ludos saeculares intelligebat significari. Quare non perspicio, cur Heinsius et Gesnerus lectionem *spectandos* in uno codice inventam vulgatae *spectatos* praetulerint. In sequentibus, quum appareat temporibus variis Romam vidisse Augustos, quia Roma se ter Augustos vidisse dicit, mihi verba *temporibus variis* ex vulgata verborum distinctione otiosa et frigida videntur. Haec conjungere malim cum sequenti vocabulo eadem, ut hoc ad verbum *vidi* referendum sit et Roma se temporibus variis eandem fuisse et esse praedicet.

Laus Serenae Reginae. Vs. 146.

Saucia truncato pallebant flumina cornu.

Jam Heinsius hunc locum sanare conatus conjecit, squalabant. Attamen non tam quod fluvius pallere dicatur offendit, quamvis jam supra decolor nominatus sit; quam numerus pluralis de uno fluvio Acheloo usurpatus. Quamobrem lumina legi malim. A poëta enim Achelous vulneribus, quae Nymphae curent, affectus fingitur. Itaque oculos quoque vulneratos fuisse, si putabis, poëtae consilio et sententiae non refragaberis.

Epithalamium Pall. et Celer. Vss. 44—46.

Nunquamne, puer, dilecta relinques
Carmina? maternis nunquam satiabere donis,
Dedite Musarum studio, nimiumque parentis
Aemule?

Haec verba sunt Veneris Hymenaeum alloquentis. Ad vocabulum *parentis* Gesnerus haec disputat: *Parentem matrem intelligit? Sed tamen Bacchus quoque, quem patrem quidam assignant Hymenaeo, musicus est et amat tibias.* Gesnerus autem errat, si poetam putat Hymenaeo Bacchum patrem et Venerem matrem assignare. Claudianum enim eos secutos esse, qui statuunt Hymenaeum filium esse Apollinis et Calliopes, apparet ex versu 31, ubi poeta Hymenaeum Musa genitum vocat.

In Eutrop. Lib. I. Vss. 346—349.

Fama prius falso similis, vanoque videri
Ficta joco, levior volitare per oppida rumor,
Riderique nefas: veluti nigrantibus alis
Audiretur olor, corvo certante ligustris.

Fama sc. de consulatu ab Eutropio spadone adito. Verba *veluti—ligustris* Koenigius sic interpretatur: *veluti audiretur sermo de olore, corvo subintelligo: de.* Arbitror tamen Claudianum non ausurum fuisse dicere *audire corvo pro audire de corvo.* Si vero statueris verba *corvo certante ligustris* esse ablativos absolutos, de sententia laborabis. Quid enim hoc sibi vult: *veluti audiretur sermo de olore nigrantibus alis, dum corvus certat ligustris?* Proposuerim conjecturam *collo pro corvo.*

De Cons. Stilich. Lib. III. Vss. 125—130.

Per quem fracta diu, translataque paene potestas,
Non oblita sui, servilibus exulat arvis;
In proprium sed ducta Larem, victricia reddit
Fata solo, fruiturque iterum, quibus haeserat olim
Auspiciis, capitique errantia membra reponit.

Gesnerus haec animadvertit: *Per Stilichonem potestas Senatus, paene Constantinopolin translata, non plane sui oblita est, sed servilibus quidem Orientis arvis exulat, verum in suum antiquum domicilium Romam reducta est, et adjungit capiti, Augusto, membra reipublicae distracta adhuc et errantia.* Huic interpretationi interpunctio a Gesnero illata respondet. Is vero mihi in eo videtur errasse, quod particulam negandi ad participium *oblita* solum retulit, quam equidem item cum verbo *exulat* conjungendam censeo. Itaque v. 126 interpunctionis signum post *sui* delendum erit. Quo facto haec in illis versibus videtur inesse sententia: *Per Stilichonem factum est, ut potestas imperii Romani (non Senatus) in servilibus arvis (sc. Orientis, cujus rectores v. 81 famuli Romae vocantur) non exulet, sed etc. Oblita sui enim esset potestas imperii, si Constantinopoli exsularet. Per caput autem Romam quam Augustum intelligi maluerim.*

Vss. 231—236.

Tua copia vincit
Fontem Hermi, tactumque Midae, pluviamque Tonantis.
Obscurat veteres, obscurabitque futuras
Par donis armisque manus. Si solveret ignis,
Quas dedit immanes vili sub pondere, massas:
Argenti potuere lacus et flumina fundi.

Poëta Stilichonis liberalitatem praedicat. Copiam intelligo pecuniam in ludos ac donationes impensam. Manus par donis armisque sine dubio est quae armis et donis pariter excellit. Sed dubito, num poëtae aptum sit dicere: manus larga fortisque fortes manus veteres obscurat. Haud dubie enim ad *futuras* substantivum manus cogitatione addendum est, nisi forte ex praecedenti enunciatione *copias* intelligi voles. Sed invenitur alia lectio *futuros*. Placet quidem magis; sed vox *homines*, quae mente addenda est, poëtico sermoni, qui generales notiones evitat, parum idonea est. Quibus de causis interpunctione mutata legere velim: tua copia vincit — Tonantis, obscurat — *futuras*. Quorum verborum sententia haec erit: tua copia *futuras* *copias* obscurabit. Sequentia autem verba: *par donis armisque manus* per se integram sententiam praebent. V. 235 verba *vili sub pondere* Gesnerus his explicat: *pondere adeo magno, ut qui illud indicari forte audiret, non de nobilibus metallis, sed de lapidibus aut vili alia materia sermonem esse, suspicaretur*. Adjectivum vilis igitur putat hoc loco significare idem, quod *vulgaris*. Sed malim haec verba explicare: sub forma nummorum, qui viles dici possunt, si eos cum totis massis compares.

De raptu Pros. Lib. I. vss. 25—32.

Vos mihi sacrarum penetralia paudite rerum,
Et vestri secreta poli. Qua lampade Ditem
Flexit Amor, quo ducta ferox Proserpina raptu
Possedit dotale Chaos, quantasque per oras
Sollicito genitrix erraverit auxia cursu.
Unde datae populis leges et glaude relicta
Cesserit inventis Dodonia quereus aristis.

De verbis *lampade flexit* Gesnerus dicit: *Lampade flectere fila ferrea et tubulos vitreos solent artifices. Sed an hoc modo Ditem Cupido flexerit, viderint manes Claudiani*. Sed virum doctissimum arbitror nodum in scirpo quaesivisse. Sane ei concedendum est, Cupidinem non eodem modo corda hominum et deorum flectere lampade vel face, quo artifex fila ferrea. Sed non intelligo, cur poëtae non licuerit dicere: qua lampade flexit Ditem Amor. Horatius ait Od. III, 9, 13. Me torret face mutua Calais. Nonne igitur dici licebit: Lydiam Cupido face flexit, ut Calain arderet? Itaque fax vel lampas amor ipse dici poterit, et verba *qua lampade Ditem flexit Amor* nihil aliud significant quam: *quo amore Ditem incendit Amor*. Ceterum maxima interpunctio neque inter verba *poli* et *qua* neque post vocem *cursu* ferri potest. Enumerantur enim eae res, quae ut sibi a diis revelentur cupit poëta. Parva igitur interpunctione duobus illis locis utendum est. Offendunt quidem indicativi flexit et possedit, sed cf. Gigantom. vss. 17 sqq.

Vss. 111 et 112.

Primordia testor

Noctis et horrendae stagna intemerata paludis.

Paludem esse Stygem neminem fugit. Virg. Aen. VI, 323 et 324.

Cocyti stagna alta vides Stygianque paludem,

Di cujus jurare timent et fallere numen.

Hi versus nostrum locum illustrant. Gesnerus quidem interpretatur: *intemerata stagna, quae semel trajecta nemo rediit. Nam temerare est quocumque modo violare*. Apparet autem, Claudianum stagna intemerata dixisse numen stagnorum intemeratum neque de umbris irrevocabilibus cogitasse.

Vss. 169 et 170.

Quae scopulos tormenta rotant? Quae tanta cavernas
Vis glomerat? Quo fonte ruit Volcanius amnis?

Gesnero non intelligenti, quid sit cavernas glomerare, placet lectio Cujacii *procellas* pro *cavernas* easque esse dicit nubes spiritu vehementi actas. Nubes autem, quas vis Aetnae montis procreet vel glomeret, necesse est copiam cineris esse; sed non video, quo jure nubes cinere conformatae procellae nominari possint. Velim signum primum interrogationis in comma et accusativum cavernas in genitivum cavernae mutari. Quo fit, ut *scopulos* ad *glomerat* referri opus sit; ut sententia haec sit: quae tanta vis cavernae (Aetnae) glomerat scopulos?

Vss. 276.

Jamque viam Pluton superas molitur ad auras
Germani monitu.

Haec verba Koenigius non respexit, quum in Prolegomenis p. 54 Claudianum his reprehenderet: *miraberis, Plutonem, qui de Jovis consilio nondum erat edoctus nesciebat, Proserpinam sibi destinatam, nec ubi gentium illa moraretur, nihilo minus tamen iter ad superos parare.* Eo tantum nomine poeta accusari poterit, quod poetae epicorum morem non secutus sit neque longius haec monita enarraverit.

De raptu Proserp. Lib. II. vss. 24—26.

Hastaque terribili surgeus per nubila gyro
Instar habet silvae. Tantum stridentia colla
Gorgonos obtentu pallae fulgentis inumbrat.

Silvam de una arbore intelligi velim. Stat. Th. VI, 280 de Tantalo: qui fallentibus undis Imminet aut refugae sterilem rapit aëra silvae. Mart. XI, 41. Cedentes oneri ramos silvamque fluentem vicit. Gesnerus explicuit: *terribilis gyros potest cogitari, quomodo instar silvae habeat, quia de viva Dea, non de imagine, loquitur poeta; multiplicatur ab illo celeri circumactu hasta et non unam arborem, sed silvam exhibet.* Mihi hasta terribili gyro surgeus est hasta tremens. Virg. Aen. II, 175 de Pallade: Emicuit parmamque ferens hastamque trementem. Sequentia hac sententia adjecta esse videntur: Etiam aliud quiddam terribile gestat Pallas, caput Medusae in thorace; sed hoc conspici non potest, quia obtentu pallae colla Gorgonis inumbrantur. Palla existimo Palladem indutam esse, cum otium agit neque rei militaris studiosa est. Gesnerus tamen, quod Minerva se palla texerit, hanc causam statuit, ne forte Proserpinam terreat. Sed non memini me legisse, immortales hoc ad spectu terreri posse. Ceterum conferas similem locum apud Virg. Aen. XI, 66. Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant. Poeta etiam in sequentibus bis Gorgonos capitis mentionem facit: v. 205 ubi Minerva, Plutone Proserpinam rapiente, hoc facinus prohibitura *jam Gorgonos ora revelat*, et v. 225 *Gorgoneis premens assibilat hydri.*

Vss. 41

Pectinis ingenio nunquam felicior arti
Contigit eventus.

Gesnero videtur genitivus pectinis pendere de dativo arti; quamobrem vertit: Nie ist der Kunst durch Hilfe des Genie ein Stück besser gerathen, atque interpretatur: *nunquam ingenio artificis arti pectinis h. e. texendi contigit eventus felicior.* Sed mihi videtur explicandum esse: pectinis facultate nunquam arti felicior eventus contigit. Cuique enim rei ingenium h. e. facultas tribui solet.

Vss. 223—226.

Talia vociferans avidos transire minaci
Cornipedes umbone ferit, clipeique retardat
Objice, Gorgoneisque premens assibilat hydrys,
Praetentasque aperit cristas.

Ex his apparet Minervam etiam clipeum gestasse, de quo poeta Deae habitum describens vss. 21—26 tacuit. Gesnero non assentior arbitranti etiam in Minervae clipeo Gorgonos hydros ex poeta sententia fuisse, et equis, ut iis terrerentur, clipeum objecisse. Mihi videtur Minerva iis hydrys, quos in thorace gestabat, equos terruisse. De his enim jam versu 205 poeta dicit: jam Gorgonos ora revelat; et umbo vel clipeus per se minax dici potest. Ferire autem hoc loco idem quod consternare valet, et clipei obex est clipeus obtentus. Imago igitur Deae, quam poeta describit, haec est: laeva manu clipeum equis obtendit; dextra, qua jam ante pectori vestem detraxerat, cristas aperit h. e. sertis solvit, quibus galeam ornaverat, v. 145 *insolitis docet galeam mitescere sertis*. In casside erat caelatus Typhon v. 21. Ejus imaginem aperiēbat sertis detractis. Cristae igitur i. e. galea a Dea praetenduntur, ut equos terreat. Gesnerus tamen sic explicat: *Texerat Minerva caput Medusae v. 25; hoc nunc objicit equis. Sic intelligimus, contraxisse, constrinxisse antea cristam, quam hic aperit.*

Vss. 237—246.

In te conjurat genitor, populoque silenti
Traderis, heu cupidas non adspectura sorores,
Aequalemque chorum. Quae te fortuna supernis
Abstulit, et tanto damnavit sidera luctu?
Jam neque Partheniis innectere retia lustris,
Nec pharetram gestare libet; securus ubique
Spumet aper, saevumque fremant impune leones.
Te juga Taygeti, posito te Maenala flebunt
Venatu, moestoque diu lugebere Cyntho.
Delphica quin etiam fratris delubra tacebunt.

Haec sunt verba Dianae Proserpinam raptam compellantis. Pro *damnavit* v. 240 mihi praestare lectio *damnarunt* videtur. Quae Diana modo dixit, ea de Proserpinae infortunio Dianam queri demonstrant. Supernis auferri cuique infortunium est. Et in sequentibus Proserpina ipsa dicit se fulmine necari, quam exsulem ad immanes Erebi hiatus detrudi malle. Sed lectione *damnavit* posita Diana supernorum et siderum miseretur, quod ad aspectu Proserpinae priventur. Quam lectionem defendens Gesnerus dicit: *Sidera synonymon superiorum; ne putemus ad ipsum statum caelestium Deorum referri. Siderum luctus est, quod non vident amplius in terris Proserpinam.* Sed ut sidera pro supernis dici possint, exemplis haec metonymia vix sustineri poterit. Lectione *damnarunt* autem recepta *sidera* nihil aliud quam fortunam sub iis constitutam significant; qui significatus apud poetas solemniss est. In sequentibus vero Diana dicit, qua ratione ipsa et Apollo luctum de hoc raptu prodituri sint. Testatur enim se venatum, responsa fratrem abdicaturum esse. In versibus autem 244 et 245 haec sententia inest: Montes Taygetus, Maenala, Cynthus dolebunt, quod raptus tuus caussa depositi venatus est. Attamen ne luctum Dianae soli tribuas dolori, quod Proserpinae sodalitate privata sit; sed ideo quam maxime Diana luget, quia Proserpinam in Orcum detrusam subire scit sortem miserrimam.

De raptu Pros. Lib. III. Vss. 137 et 138.

Haec ubi, digreditur templis; sed nulla ruenti
 Mobilitas; tardos queritur non ire jugales.

Quid sibi velint verba *sed nulla ruenti mobilitas*, Gesnerus non explicuit; conjecturam vero Heinsii *sat nulla* in variis lectionibus attulit. Si statuas, lectionem *sed nulla* sinceram esse, voce *mobilitas* significari opus est inconstantiam, ut haec sententia insit: Ceres ruit nec dubitat digredi. At certe hac sententia illata orationem languere concedes. Nemo enim de cunctatione Cereris cogitare potest, quum ipsa Cybele eam adhortata sit verbis: *I tamen et nullo turbata revertere casu*. Ex Heinsii conjectura apparet, eum vidisse, ex totius orationis natura mentionem potius celeritatis quam inconstantiae postulari. Attamen conjectura *sat* parum placet. Equidem proposuerim *sed sumta* et deleverim interpunctionem post *mobilitas*, ut *sumta mobilitas* subjectum enunciati sit et *queritur* praedicatum. Mobilitatem sumere est apud Luc. 6, 34.

Vss. 211—214.

Nec semel amplecti, nomenque iterare sororis,
 Et dura de matre queri, quae tale recessu
 Maluerit damnare decus, vetitoque Dearum
 Colloquio patriisque procul mandaverit astris.

His versibus Ceres callidos sermones significat, quibus Venus usa sit in colloquio cum Proserpina. Pro verbis *patriisque procul mandaverit astris* exstat lectio *patriis procul amandaverit astris*. Quum in bonis libris manuscriptis *mandare pro amandare* nunquam reperiatur, hic vero notio relegandi efflagitur, lectio illa praeferenda videtur. Praeterea particula *que* post *patriis* offendit; hac enim retenta apparet ablativus vetito colloquio cum *procul* conjungendos esse. Sed haec dicendi ratio *procul vetito colloquio* non placet. Qui enim *procul* colloquio amandatus est, ei re ipsa colloquium negatum est. Plus elegantiae igitur particula *que* deleta et lectione *amandaverit* recepta huic loco afferetur.

Vss. 220—227.

Prima Venus campos Hennaetaeque rura maligno
 Ingerit affatu. Vicinos callida flores
 Ingeminat, meritumque loci, velut inscia, quaerit
 Nec credit, quod bruma rosas innoxia servet,
 Quod gelidi rubeant alieno germine menses,
 Verna nec iratum timeant virgulta Booten.
 Dum loca miratur, studio dum flagrat eundi,
 Persuadet.

His versibus ars describitur, quam Venus sermoni texendo tam callide adhibuit, ut Proserpina retineri non posset, quin per valles et lucos cum aliis Deabus et Nymphis vagaretur. Campos maligno affatui ingerere est de campis maligno consilio loqui, et vicinos flores ingeminare idem quod florum iterum mentionem facere, hanc materiam dicendi retractare. Callide Venus a vicinitate incipit, ut postea velut inscia ex Proserpina quaerat, quae cetera loci merita sint. Proserpina haec enumerante, simulat sibi ea incredibilia videri et, ut ipsa haec miracula spectet, quam maxime cupere. Verba enim *dum loca miratur* significant: dum loci descriptionem miratur. Haec de venustate

et elegantia loci nostri monenda duxi. Gesnerus de toto loco haec animadvertit: *credit, quod est Graecismus huic aetati ignoscendus et relinquendus.*

Vss. 357 — 362.

Non tamen hoc tardata Ceres; accenditur ultro
Religione loci, vibratque incerta securim,
Ipsum etiam per itura Jovem; succidere pinus,
Et magis enodes properat prosternere cedros,
Exploratque obiens truncos, rectique tenorem
Stipitis, et certo praetentat brachia nisu.

In verbis *Ipsum per itura Jovem* interpretes praepositionis *per* transpositionem statuunt. Gesnerus autem existimat, lectionem *petitura* ab ipso Claudiano profectam esse, brevitatem syllabae secundae excusans, quod hoc verbum, ut alia, inter tertiam et quartam conjugationem fluctuaverit. Sed vix Claudiano tantum negligentiae in legibus metricis tractandis tribuerim. Neque Gesnerus alium errorem apud Claudianum notavit. Vir ille in variis lectionibus scripsit: *petitura omnes ante Claverium*. Feritura MSS. *petat ira* coniecit *pulchre Barthius*. Equidem conjicio legendum esse *tritura*. Dolore percussa Ceres non dubitet, Jovem ipsum securi terere. Cur dubitet arbores Jovi sacras caedere? Sic Claudianus dixit, Martem languentia membra gigantis cursu terere. Et formulae admonere licebit: ut illum Dii terant etc. Versum 362 Gesnerus sic explicat: *Ceresprehendit arbores et concussu stirpis praetentat brachia illarum, an possint illam jactationem, qua usura erat, ferre*. Sed non brachia arborum existimo intelligenda esse, sed Cereris ipsius. Similis locus est apud Ovid. Met. VIII, 7. Praetentatque (Minos) sui vires Mavortis in urbe Alcaethoi.

Vss. 389 — 391.

Dant tenebrae Manesque locum plantisque resultant
Tartara ferratis: donec Phlegethontis ad undam
Constitit.

Gesnerus putat Megaerae plantas ferratas tribui, quippe quae laedi ab igne non possint. Mihi vero non hac de caussa eas Dirae videtur tribuisse, sed omnino ut diritatem Furiae significaret.

Gigantom. v. 16 — 20.

Sentiet ille meas (Terae) tandem Saturnius iras.
Agnoscet, quod Terra potest. Sic viribus ullis
Vincor: cur Cybele nobis meliora creavit?
Cur nullis Telluris honos? cur semper acerbis
Me damnis urgere solet?

Gesnerus in variis lectionibus; *agnoscat, quid vulg. si curribus illis MS. si viribus vulg.* Ex his textum sic mutandum censeo: *Agnoscet, quid Terra potest; si viribus ullis vincor? num Cybele nobis meliora creavit? Num pro cur conjectura est; verba enim cur Cybele nobis meliora creavit sunt concedentis; sed Terra se nunc meliora quam Cybelen creavisse existimat. Sic etiam vox ullis suum locum obtinet. Putat enim Terra, se nullis viribus vinci posse. Haec fiducia tota oratione exprimitur. Et modus indicativus etiam apud alios scriptores in tali structura reperitur. Neque dubitavi lectionem vulgatam *agnoscet, quid alteri praeferre*. Cf. de raptu Pros. I, v. 25 — 52.*

Epistolam primam, cui inscriptio est ad Hadrianum, Koenigius censet multum offensionis habere. Apparere enim dicit, scriptorem Alexandriae vixisse ex v. 56: *Audiat hoc commune solum longeque carinis Nota Pharos*. Sed ex his verbis hoc tantum colligi potest, et scriptoris et ejus, ad quem epistola scripta est, Alexandriam patriam fuisse. Pharos enim hoc audire potuit, poeta Romae vel omnino in Italia vivente. Koenigius ita pergit: *neque res illa accidere potuit Stilichone vivo, quia poeta noster in illius potentissimi viri tutela erat, neque post Stilichonis mortem, quo tempore Claudianus ardore saltem juvenili impelli non poterat ad procerem aliquem viclandum (v. 6 et 7 me dolor incautum, me lubrica duxerit aetas. Me tumor impulerit, me devius egerit ardor) nisi dicas factum hoc esse Stilichone adhuc vivo et Hadrianum iram suam distulisse in commodum tempus*. Verisimile est statim post Stilichonis caedem Claudianum quoque ab inimicis fautoris sui interfectum esse, quum legamus, Olympium omnes Stilichonis amicos saevo cum studio persecutum esse. Cf. Gibboni Decline and fall of the Roman Empire vers. Theodisca, quae Lipsiae prodiiit, Tom. VII, p. 319 sqq. Itaque quaerendum est, num vivo Stilichone Claudianus hanc epistolam scribere potuerit. Koenigius recte dicit, Claudianum jam anno 394 in Italia fuisse. Nam sequenti anno Prohini et Olybrii consulatum Romae carmine celebravit. In hoc autem Stilichonis nulla mentio fit. Laudatur tamen Stilicho in carmine inscripto *de III. consulatu Honcru* et recitato a. 396. Jure ex his mihi Koenigius colligere videtur, Claudianum demum a. 395 post Theodosii mortem Stilichoni commendatum et Mediolanum in aulam accessitum fuisse. Fortasse carmen ipsum de III cons. Hon. effecit, ut Claudianus in aula Mediolanensi retineretur, si verum est, quod poeta in praefatione hujus carminis dicit et vix dubitari potest, se a senatu Romano ad Imperatorem carmine gratulatum missum esse vss. 15—19:

Me quoque Pieriis tentatum saepius antris
 Audet magna suo mittere Roma Deo.
 Jam dominas aures, jam regia tecta meremur,
 Et chelys Augusto iudice nostra sonat.

Anno 400 poeta Panegyricum de Stilichonis consulatu composuit. In praefatione virum illum cum Scipione seque cum Ennio comparavit, vss. 21—23:

Noster Scipiades Stilicho —
 Te mihi post quinos annorum, Roma, recursus
 Reddidit, et votis jussit adesse suis.

Itaque dubium esse non potest, quin per hos quinque annos poeta Mediolani versatus et Stilichonem consulém Romam comitatus sit.

Nonne vero epistola nostra ante annum 395 scripta esse potest? quum non constet, quo anno poeta Romam venerit? Fortasse poeta Romam Alexandrino Hadriano auctore migravit ejusque gratia hic floruit. Ex epistola nostra apparet, Hadrianum Romae potentissimum fuisse. Fortasse Praefectus Urbis fuit. Nam Prosopographia Cod. Theod. Gothofrediana Hadrianum Magistrum officiorum intra A. D. 397—405 habet. Constat autem Praefecti potentiam Romae eandem fuisse, qua Praefecti in provinciis utebantur.

Sed quid poeta commiserit, ut Hadriani iram moveret, ex epistola ipsa non liquet. Fortasse ejus amici impia verba in Deum jactaverant, idemque crimen poetae quoque objectum est. Haec quidem sententia sub verbis v. 21 *quemcumque Deorum Laesimus*,

insultet jugulo pascatque furorem subijci potest. Huc etiam versus 9 et 10 referri possunt: *Humanae Superos nunquam tetigere querelae, Nec vaga securum penetrant convicia caelum*, quamquam dici potest, in his verbis esse comparisonem Hadriani cum Diis, siquidem vulgarem opinionem amplecteris, Hadriani iram epigrammate XXX commotam esse. Sed quominus hanc sententiam sequar, versus 21 et 22 prohibent, quia non intelligo, quis Deorum injuria Hadriano illata laedi potuerit. Sed quaecumque causa fuit, cur Hadrianus poeta irasceret, non improbable est, hanc epistolam ante annum 395 scriptam fuisse. Atque fortasse ea ante epigramma XXX scripta est, sive epistola nostra Hadriani animum prorsus non potuit reconciliare, sive poetam ejus avaritia ita instigavit, ut eam his notaret:

Mallius indulget somno noctesque diesque.

Insonnis Pharius sacra, profana rapit.

Omnibus hoc, Italiae gentes, exposcite votis,

Mallius ut vigilet, dormiat ut Pharius.

Koenigio quidem in Prolegomenis p. 15 hujus epigrammatis inscriptio *de Theodoro et Hadriano* ea de causa suspecta videtur, quia non intelligit, cur poeta, Mallio nomine designato, Hadriani patriam tantum significarit. Sed nomen Hadriani, quum prima syllaba producatur, tale est, ut numeris versus hexametri repugnet. Ceterum Mallium jam in panegyrico de ejus consulatu poeta dicit vitae tranquillae deditum esse. Fuit quidem homo probus, sed ad rempublicam capessendam parum idoneus. Claudianus vero mox Probi, principis gentis Anicianae, favorem sibi conciliaverit necesse est; nam ejus filiorum, Probini et Olybrii, consulatum a. 395 carmine celebravit.

Restat, ut judicium persequare, quod Gibbonus de nostra epistola et epigrammate illo tulit. Haec fere illustrissimi viri verba sunt: *Mallii tranquillitas hac admonitione (epigrammatis) non turbata est, sed Hadriani crudelis vigilantia occasionem ulciscendi non praetermisit, et facile a Stilichonis adversariis impetravit, ut sibi poeta suspectus traderetur. Poeta vero aliquandiu post Stilichonis caedem se abscondidit, et magis prudentiae ratione habita quam honestatis ad laesum Praefectum supplicem et humilem epistolam misit. Deplorat moestis verbis temeritatem, ad quam stullitia et affectu adductus sit, et sperat, Hadrianum inimicum abjectum non oppressurum esse.* Ingeniose quidem vir clarissimus haec disputavit, sed argumentis non stabilivit. Quamobrem hac disputatione ea, quae supra dixi, refelli non possunt. Neque epistola nostra poetam humilis et abjecti animi coarguit. Humilis enim animi haec verba non sunt vss. 50 – 55:

Quodsi nec precibus, fletu nec frangeris ullo,

Eripe calcatis non prospera cingula Musis.

Eripe militiam. Comitem me pelle sodalis.

Scilicet insignes de paupere vate triumphos!

Scilicet egregiis ornabere victor opimis!

Neque inhonestum est, supplices preces ante eum fundere, cujus liberalitate ad honores evecti sumus, (honoris enim vel muneris ejusdam insignia sunt cingula et militia) praesertim si putamus, id quod poeta v. 31 dolet, livorem nascentia fata secuisse et ingesto luctu gaudia turbasse.